



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 81. Quid addendum sit circa cognationem spiritualem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

adoptatus posset ducere filiam legitimam adoptantis, si alteruter emanciparetur, vel si moriatur adoptans, quia tum cessat adoptio, *Krim.* à n. 1125. E contra filius adoptatus etiam soluta adoptione ducere non potest eam, quæ fuit uxor adoptantis, uti nec adoptans uxorem adoptati, quia, secundum dicta, est quadam inter hos quasi publica honestas perpetua. An superveniens cognatio legalis impediatur petitionem debiti, dicitur n. 601.

595. Q. 81. Quid addendum sit circa cognationem spirituales. *R.* §. 1. *Trid.* sess. 24. c. 2. De reform. Matr. statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Et idem dicendum est ex Confirmatione, in qua patrinus assistens & confirmans contrahunt cognationem cum confirmato, cumque hujus patre ac matre.

596. §. 2. Cum *Trid.* dicat, inter illos tantum contrahi hanc cognationem, consequenter non contrahitur inter patrinum & matrinam, neque inter plures patrilinos vel plures matrilinas, si plures adhibeantur; neque inter illos, qui baptizantur vel confirmantur ab eodem Ministro; neque inter Ministrum Sacramenti, & patrilinos; neque cum parentibus vel uxore Ministri; neque cum conjugate patrilini vel matrilinæ; neque cum liberis vel vitricis vel noverca baptizati aut confirmati.

597. §. 3. Si Berta uxor Titii adulteretur cum Cajo, qui ob levatum Titii & Bertæ infantem habet cum eis cognationem spirituales, quamvis sit

fit incestus ob cognationem spiritualem, tamen Berta hoc non obstante potest à Titio petere debitum, quia non impeditur per cognationem spiritualem, quæ non extenditur, nisi ad personas in Jure expressas, adeoque Berta non ideo contraxit cognationem spiritualem cum Titio marito suo. Neque hic contracta est affinitas cum Titio, hæc enim tantum oritur ex copula cum sanguine juncto, seu cum cognato ratione sanguinis, qualis non erat Cajus, qui cum Berta & Titio habebat tantum cognationem spiritualem.

§. 4. Pontius l. 7. c. 40. n. 13. putavit non incurri hoc impedimentum, si quis cum ignorantia facti teneat aliquem, v. g. si filium suæ concubinæ, nesciens hunc esse: sed oppositum videtur certum cum *Avers.* q. 16. f. 2. ubi sibi contrarius est; ignorantia enim vel error hic non excusant, maximè cum illud statuatur non velut pœna, sed tantum veluti impedimentum canonicum, quale est etiam affinitas ex copula fornicaria, uti dicitur postea.

§. 5. Docent *Tol. Henriq. Suar. Cõm. Sancb. Bonac.* alique AA. gravissimi, quos citat, & sequitur *Pignat. tom. 1. consult. 10. non confirmatum non contrahere cognationem spiritualem*, dicitque à *S. Congreg.* in his terminis declaratum esse 13. Jun. 1654. sed quamdiu non constat de ea declaratione, manet valde probabile oppositum, nam ita docent AA. relati à *Sancb. l. 7. d. 60. n. 21.* alique cum *Avers.* quem retuli l. 6. p. 1. num. 400. videri potest etiam *Gob. tr. 9. à n. 169.*

§. 6. Contrahit hoc impedimentum laicus baptizans etiam privatim & in necessitate, quia etiam hic intervenit vera regeneratio per Baptismum,

smum, propter quam Ecclesia hoc impedimentum statuit inter baptizantem & baptizatum, *Sanch. Laym. Krim. n. 1098.* An autem contrahat patrinus assistens Baptismo non solenni, aut solis ceremoniis, aut Baptismo sub conditione repetito, dixi l. 6. p. 1. n. 361., ubi à n. 359. pluribus dixi, quid requiratur ad contrahendam hanc cognationem.

601. §. 7. Cognatio spiritualis superveniens Matrimonio impedit ejus usum, secundum dicta à n. 387. Illum tamen non impedit superveniens cognatio legalis, hinc quamvis Titius adulterans cum sorore uxoris suæ impediatur à petitione debiti, non tamen impeditur, si sororem uxoris suæ adoptet, quia hoc nullo Jure statuitur, *Sanch. l. 7. d. 63. n. 19. Krim. n. 1238.* An autem pater in necessitate baptizans vel assistens suæ, aut uxoris proli contrahat cognationem & impediatur à petitione vel redditione debiti, dixi à n. 385. & videri etiam possunt dicta l. 6. p. 1. n. 358.

602. Q. 82. Quid circa cognationem carnalem seu consanguinitatem sit addendum. R. §. 1. Ante omnia intelligi debet significatio nominum hic; ad quod servire poterunt sequentia ex *Lohner p. 4. in Instruct. Pastor. pag. 198.*

Nomina consanguinitatis.

Cognatus. Better: Blutsverwandt. Parent.
Cousin.

Cognata. Baaf. Cousine. (pere.)

Paterna linea. Vatter's-Geschlecht. Ligne du

Materna linea. Mutter-Geschlecht. Ligne de
la mere.

Pater.